



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXXVI. De Injuriis & damno dato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

su, de purg. can. Pirh. h. t. num. 3. Et in specie dicta monomachia prohibita expressè, c. monomachiam 2. 9. 5. & c. cura, h. t. Purgatio per ferrum candens vel aquam ferventem, c. Memmæ, c. consulisti, ead. caus. & quest. purgatio per aquam frigidam, c. ex tuarum h. t. Idem est de aliis similibus actibus & signis, in quibus miraculosa divinæ virtutis operatio expectatur, vel ad occultæ veritatis probationem exposituratur, in quibus cum tenetur Deus saltem implicite & interpretative, ideo mala esse & prohibita, etiam seclusa prohibitione juris humani, ait Pirh. h. t. num. 5. cum Suar. Tom. 1. L. 2. de irreligijs. c. 3. num. 8. Neque his obstat, quod Sancti sæpe ad istiusmodi purgationes se obtulerint, & Deo cooperante miraculosè suam innocentiam ostenderint, id enim factum ex speciali inspiratione, neque quod Concilium Moguntinum sub Rabano celebratum can. 24. statuat, quod, qui presbyterum occiderit & idiplum negaverit, si liberi est, cum septuaginta duobus juret; si servus super 12. vomeres ferventes se expuret. Nam ei per SS. Canones derogatum, testatur Reiffenst. h. t. num. 4. Neque quod Deus ipse de tali purgatione facienda per aquam amarissimam bibitam à muliere insimulata de adulterio, præceptum dederit. num. c. 5. v. 18. Nam hoc ipso Deus tacite saltem promiserat innocentiam suam assistentiam, quæ tamen promissio divinæ assistentiæ cum sublatis per legem novam præceptis istiusmodi ceremonialibus legis antiquæ cessaverit, talis purgatio hodie dum est illicita, ita Pirh. h. t. num. 5. Wicstn. h. t. num. 4. quod idem dicendum, si dicatur cum Alensi; hujus aquæ bibitionem non fuisse præceptam, sed solum permissam in ordine ad ostendendam innocentiam eique permissioni conjunctam seu permissam Dei assistentiam.

Quest. 471. Quid igitur dicendum de purgatione facta per celebrationem Missæ aut susceptionem Eucharistiæ, an olim fuerit, aut modo sit licita?

R Esp. In hoc non convenire A. A. nam aliqui cum D. Thom. apud Suar. l. c. sustinent, esse

per se malam & illicitam, & consequenter Concilium illud provinciale errasse, & decreta illius quod ad hoc esse correctæ per nova jura seu canones, ut sentit Gl. *ibid. v. sepe.* Alii cum Suar. & Pirh. l. c. probabilius censent non esse illam purgationem per se malam & illicitam, cum nullibi in jure reperitur specialiter, prohibita, neque intrinsecè continere tentationem Dei, cum non fiat ad ostendam divinam virtutem per miraculum, sed solum quasi in testimonium & probationem innocentiam; ita Pirh. quamvis addat, talem modum purgandi se esse periculosum, cum cadere possit in irreverentiam Sacramenti, ut ab indignis sumatur, ideoque in desuetudinem abiisse, ut Suar. l. c. n. 10.

Quest. 472. Num sententia lata ex purgatione vulgari & jure reprobata, à qua non fuit appellatum, retractari possit?

R Esp. Affirmative, juxta *significasti h. t.* tamen si enim aliàs regulariter sententia, à qua intra dies decem appellatum non fuit, transeat in rem judicatam, jusque ex ipsa sententia natum, & consequenter retractari non debeat, etiam si dein veritas se aliter habere deprehendatur; propter instrumenta postea reperta & errorem detectum. c. cum inter. de sent. & re judic. juncto c. inter. eod. & L. putarem ff. famul. Hercisc. nihilominus sententia lata ex probationibus fallacibus & reprobatis (qualis fuit illa, quæ lata c. 2. h. t. ex duello seu monomachia) retractanda est repertâ veritate contraria, juxta c. venerabilis. §. intelleximus. de except. & toto tit. C. si ex fals. instrum. Host. h. t. v. restituant. Pirh. h. t. num. 7. non secus ac sententia lata ex delatione juramenti facta per Judicem parti compertâ veritate contrariâ retractari potest L. admonend. ff. de jurejur. quia talis sententia nulla est, quia lata contra ordinem judicium, nempe ex probatione non integra. L. prolatam. C. de sent. & interloc. omn. jud. Item injusta, sententia autem injusta tenet, quia præsumitur justa, quæ præsumptio cessat, si notoriè constet esse injustam. c. veritate. dist. 8. Pirh. l. c. cum Abb.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis & Damno dato.

CAPUT I.

De Injuriis.

Quest. 473. Quid sit injuria?

R Esp. Injuria non quidem accepta generaliter seu latissime pro omni eo, quod adversus alium fit non justè, sed specialiter, prout sumitur h. t. est delictum, quo alteri dolo malo infertur contumelia lædendo ejus honorem seu famam per quandam vilipensionem, despectum, probum. Sylv. v. injuria. num. 1. Sumitur fere ex princ. Inst. h. t. & L. 2. h. t. Dicitur: dolo malo, seu animo injuriandi dicendo quid vel faciendo, quod in illius contemptum & despectum cedit, & citra hunc animum seu intentionem.

R. P. Leuw. Jur. Can. Lib. V.

nem non fit injuria. L. si non conviti. C. h. t. ideoque nemo facit injuriam, nisi sciat se facere injuriam. L. 3. §. 2. & 3. ff. h. t. animus autem ille præsumitur, dum verba vel facta suapte naturâ sunt injuriosa, unde ea proferens vel faciens probare debet, animum convitiandi aut contemnendi abfuisse, eum ster contra eum præsumptio juris. cit. L. si non conviti. & ibi Gl. v. probare potes, idque, etiam si dicat, se ea ex joco dixisse, ut eadem Gl. & Clarus §. injuria. num. 12. fietque hæc probatio per conjecturas, Zoes. in ff. h. t. num. 4. Econtra, si verba vel facta ex se non sunt injuriosa, actoris est probare animum injuriandi adfuisse, aliàs

K k

teus

reus est absolvendus. Arg. *L. qui in alterius. ff. de reg. jur.* Unde jam injuriam facere possunt omnes qui dicti animi seu doli capaces sunt, cujuscunque sexus, ætatis, conditionis, & sic non excipiuntur Magistratus, qui abutentes officio suo inferunt injuriosum quid subdito, cujus plura exempla ponit Lauterb. *ad ff. tit. de injuriis.* Neque alii Ecclesiæ ministri, dum non ex zelo pietatis, sed privato affectu in concione & alibi in personam certam invehuntur injuriosè, aut eam ita describunt, ut omnes faciliè intelligant, quis noceat, maximè ubi delictum non est notorium. Lauterb. *l. c. §. 6.* qui tamen addit, in dubio non tam tam animum injuriandi quam corrigendi in Clericis præsumendum, maximè, si delictum non est ex conjectura, sed publicum, unde is animus in illis evidenter probandus, ut Berlich. *p. 5. concl. 60. num. 8.* E contra à facienda injuria excluduntur, qui hoc animo & voluntate destituti, etsi naturâ suâ injuriosum quid dicant aut faciant, ut sunt infantes, infantiæ proximi, furiosi, licet ipsi injuriam pati possint. *L. 3. §. 1. ff. h. t. Carpz. L. 2. resp. 58.* dormientes, qui in somno loquuntur; noctambulones, dum faciunt quid aliàs injuriosum. *L. 1. §. 3. de act. f. & A. P. junctâ cit. L. 3. §. 3. Clem. unic. de homicid. vol. item ebriosi, dum ebrietas mentis alienationem inducit. c. 5. dist. 35. c. 7. caus. 15. q. 1. L. 6. §. 7. ff. de re milit. dum tamen ebrietas est infania voluntaria, & ebrius culpâ haud caret, extraordinariâ aliquâ pœnâ punitur. can. 9. caus. 15. q. 1. Carpz. *pr. crim. q. 69. num. 2.* idem est in eo, qui æstu iracundiæ correptus convitium vel injuriosum quid facit, ita ut, si iracundiâ non profus adimat rationem, non liberetur omnino ab obligatione hujus delicti, cum injuriâ passî læsio inde non tollatur, nec infecta reddatur, & nemo pœnitentiâ suâ nocens esse desinat. Gail. *L. 2. obs. 100. num. 9.* Lauterb. *§. 5.* etsi mitius cum eo agendum, ut cum communi Farin. *q. 91. num. 33.* item injuriæ rei non sunt, qui vi officii vel status sui causâ moderatâ castigationis, correctionis, & emendationis aliquid aliàs injuriosum dicunt aut faciunt, v. g. respectu discipulorum præceptores, parentes respectu liberorum, domini respectu famulorum, mariti respectu uxorum, Superiores respectu subditorum. *L. item apud Labeonem. §. 38. ff. h. t.* uti id probatur exemplo Christi, dum is Petrum compellavit Satanam. *Matt. 16.* discipulos euntes in Emaus *stultos & tardos corde;* & S. Pauli, dum is Galatas vocat insensatos, Cretenfes, mendaces, quamvis D. Aug. *L. 2. de ferm. Dom. in monte. c. 30.* moneat, rarè & non nisi ex magna causâ hujusmodi injuriosas objurgationes esse adhibendas, utpote quibus quandoque magis exacerbantur, quàm emendantur subditi.*

Quæst. 474. Quot modis inferri possit injuria?

REsp. Tribus potissimum modis ea inferri potest, nimirum verbis, scripto & factò; verbo fit, dum quis de altero, sive absente, sive præsentè probrosam aut injuriosam quid oretenus profert, obijciendo vel enunciando defectum morum vel naturæ, v. g. quòd sit fur, adulter, spurius, quæ prolatio probrosa dicitur convitium, Arg. *L. item apud Labeonem. §. 7. ff. h. t.* Clarus *§. injuria, num. 1.* Farin. *pr. crim. q. 150. num. 2. & 4.* Reiffenst. *h. t. num. 6.* Scripto fit, dum quis verbis contumeliosus in scripturam redactis honorem alterius profcindit, historiam ad alterius infamiam & con-

temptum conscribit, aut typis edit, aut edi curat. *L. lex Cornelia. §. 9. L. item. §. 29. ff. h. t. & si talis scriptura omisso authoris nomine in vulgus spargitur, dicitur libellus famosus. L. unic. ff. de libellis famos.* Facto fit, dum quis alterum verberat, vulnerat, domum illius violenter perfringit, aliudve quid in ejus contemptum, probrum, infamiam cedens facit *cit. L. lex Cornelia. & L. item. ff. h. t.* Unde alii injuriam bifariam dividunt, in verbalem & realem, malè, ut inquit Lauterb. *h. t. §. 2.* scriptam ad realem referentes. De cætero singularum trium injuriarum dividentur in leves & atroces, quæ earum differentia desumitur ex circumstantiis ipsius facti, ut atrox censeatur, dum etiam plebejus vulneratur, fustibus caditur. *§. 9. Inst. h. t. L. prator. edixit. in fin. ff. h. t.* vel ratione personæ injuriantis, ut à filio irrogata parenti, à vasallo illata domino. *cit. §. 9. L. si unus. §. 3. ff. eod. vel injuriatæ. L. atrocem. c. h. t. item ratione loci, ut si inferatur in templo, vel in loco judicii, cit. §. 9. Inst. Ad hæc injuriam quis inferre potest immediatè seu per se ipsum, vel mediatè, seu personâ aliâ mediante, mandando scilicet, instigando, procurando, aliòve modo subordinando, ut alterum percutiat, ipsi convitium dicat aut scribat, aliàve injuriâ afficiat. *§. 11. Inst. L. 11. in princ. L. 15. §. 8. ff. h. t.* unde cum utroque injuriarum agi potest, Lauterb. *§. 7. juxta cit. LL.* modo injuria ex parte mandatarii, instigati, &c. secuta sit. Arg. *L. 15. §. 19. ff. de furt. L. 33. §. 1. ff. de V. S.* sic Advocatus mandante principali citra notoritatem adversario objiciens convitium, vel verbis injuriosis utens, non excusatur ab injuria adversario illata. *L. 11. §. 3. & 4. ff. h. t. L. 5. c. de accus. Carpz. L. 2. resp. 27. & 62.**

Quæst. 475. An & qui pati possint injuriam mediante aliâ personâ?

REsp. Primò: sicut quis facere, sic & pati potest injuriam mediante aliâ personâ immediatè injuriatâ, quæ sibi conjuncta potestati suæ vel affectui subjecta est, ita ut hi etiam proprio nomine instituere possint actionem injuriarum, *§. 2. Inst. l. 1. §. 3. & 5. ff. h. t.* Farin. *pr. crim. q. 150. à num. 253.* Lauterb. *l. c. §. 10.* Haunold. *Tom. 1. de f. & 7. tr. 2. num. 532.* sic si liberis constitutis sub patria potestate fiat injuria, ipsi immediatè, pater verò mediatè afficitur injuriâ, *L. 1. §. 3. ff. h. t.* idque etiam si filius consentiret, filia non invita stuprata esset, ita ut patri nihilominus deur actio, *L. 1. §. 3. l. 17. §. 10. l. 26. l. 41. ff. l. 2. C. h. t.* Harpr. *pr. Inst. h. t. num. 18.* His non obstantibus, quod stuprator solum habeat animum explendi libidinem, & non injuriandi patrem; habet enim quis hunc animum indirectè, qui facit, quod per necessariam consequentiam ad cujusdam contumeliam spectat, uti stuprum filix sine contumelia patris, adulterium uxoris sine contumelia mariti fieri nequit. Harpr. Lauterb. *LL. cit.* non tamen censetur injuria facta patri, nisi injurians saltem in genere sciverit injuriatum esse filium famul. vel mulierem esse nuptam, *L. 18. §. 4. h. t.* multòque minùs, si injurians crediderit injuriatum esse patrem familias, item si crediderit, non esse sub patria potestate, sed emancipatum. *L. 2. Inst. l. 1. §. 8. & l. 18. §. 4. ff. h. t.* Lauterb. *§. 11.* sic injuria inferatur domino, si quid atrocius, apertè cedens in ejus contumeliam, committatur in servum, *§. 3. Inst. l. 15. §. 34. ff. h. t.* secus tamen est, si servo inferatur injuria citra contemplationem Domini, aut

aut gerenti se pro libero, ut exinde non detur actio domino. *cit. l. 15. §. 44.* Idem est de famulis, dum eis fit injuria, v. g. dum negotia domini expediunt. *cit. l. 15. §. 48.* item de vasallis respectu domini directi, Harpr. ad §. 2. *Inst. num. 32.* Gail. *L. 1. Obs. 39.* Lauterb. §. 12. Sic si clerico vel religioso inferatur injuria, ratione illius, quasi Ecclesiae vel monasterio illatae, agere potest Episcopus vel Superior religiosus. Farin. *pr. crim. q. 150. num. 291.*

2. Resp. Secundò: personæ verò, quibus injuriatis injuria redundat in eum, cui ratione affectus sunt subjectæ, sunt primò uxor, cujus injuriam nomine suo vindicat maritus, si injurians saltem sciverit in genere esse uxorem. *L. 18. §. penult. h. t.* Secundò sponsa, quia hæc affectu pro uxore habetur. *cit. l. 15. junctâ cu. l. 18.* non tamen econtra, si viro vel sponso illata injuria, ea non censetur illata sponse vel uxori, ut injuriarum agere possit, quia uxores à viris, non viros ab uxoribus defendi æquum est. *L. 2. C. h. t.* Lauterb. §. 13. nisi tamen convitium seu injuria utrique communis est, ut si maritus vocetur cornutus. *Wiestn h. t. num. 5.* Tertiò: nurus, cujus maritus est in patria potestate, si injuriata, foer injuriarum agere potest. §. 2. *Inst. l. 3. ff. h. t.* Quartò: hæres per defunctum quodam modo injuriari potest, seu mediante defuncto, v. g. dum quis hunc falsò aliquis delicti accusavit, vel ejus cadaveri ignominiosè quid irrogaverit, cum semper hæredis interest defuncti æstimationem tueri & purgare, resultatque hæc injuria statim, ac adita hæreditas, & hæres acquirit actionem. Lauterb. *cit. §. 13.*

3. Resp. Tertiò: injuria facta uni fratrum, sororum, agnatorum vel cognatorum mediâte censetur facta alteri fratrum, sororum &c. quod si ea tangit totam familiam (de quo Judex arbitrabitur, ut ait Menoch. *de arb. jud. cas. 262. num. 2.*) actionem competere fratri, aliisque conjunctis, facile concedit Berez. *in c. hic num. 12.* & extra dubium esse asserit Lauterb. §. 14. si autem solum injuriatum concernit, actionem cæteris consanguineis collateralibus negat Perrez, eò quod jura specialiter expriment personas, quibus ob injuriam conjuncto illatam agere permissum est, inter illas autem non numerent fratrem aut quenquam consanguineorum, quod signum sit, illos excludi; quod confirmant alii ex eo, quod minor sit affectio fratris in fratrem, quam patris in liberos, & tamen in his jam emancipatis injuriam pati non censetur pater, adeoque multò minus illam per fratrem patiatur frater; verùm distinguunt alii, ita ut actionem criminalem competere aliis fratribus, sororibus &c. non verò civilem, censeant plures DD. & in praxi observari testantur Berlich. *p. 2. decis. 188.* Pistor. *L. 4. c. 21. num. 4.* & alii apud Lauterb. *l. c.*

Quæst. 476. An, quando & qualem actionem injuriato pariat injuria in foro externo?

Resp. Injuria facit, ut injuriatus contra injuriantem instituire possit actionem injuriarum, sive civilem, sive criminalem, prout maluerit, §. *in summam. Inst. h. t.* ita tamen, ut, si unam instituit, v. g. civilem, ad alteram v. g. criminalem regredi non possit, & è contra, Arg. *L. quod Senatus-consultum. ff. h. t.* civiliter agere dicitur injurians, dum præterdit ad suum privatum commodum seu interesse certam summam pecuniæ à se æstimatam, R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. V.*

tanti nimirum, cujus jacturam libentius quam probrum seu despectum per injuriam sibi illatum sustinisset, ac proinde petit, ut injurians in tantam summam condemnnetur, *cit. §. in summam. §. l. constituit. §. 1. ff. h. t.* quam tamen summam taxatam ab injuriato solet Judex plerumque moderari, & ad minorem reducere spectatis omnibus circumstantiis, ex quibus injuria redditur major, v. g. ratione personæ injuriatæ, quia ea in dignitate constituta, ratione loci, in quo commissæ, quia is est publicus, sacer, ratione rei & facti, quia commissæ verberando, vulnèrando &c. quod antequam Judex faciat, eamque injuriato adjudicet, debet exigere ab eo, ut juret, injuriam tanti, quanta est pecuniæ sic moderatæ taxatio, æstimari. *cit. §. in summam. c. olim. h. t. & ibi Gl. v. taxatione.* Clar. §. *injuria. num. 6.* Haunold. *de I. & I. Tom. 1. tr. 2. num. 573.* quamvis, ut Idem cum aliis, praxis quorundam tribunalium habeat, ut absque tali juramento æstimetur & taxetur à Judice injuria, & pecunia ei correspondens adjudicetur injuriato, cui praxi & locorum consuetudini standum sit; unde jam dicta actio vocatur æstimatoria & definitur potest magis explicitè, quòd sit actio prætoria, nimirum ratione causæ suæ efficientis remotæ, utpote à prætoribus inducta. §. 7. & 8. *Inst. h. t.* personalis ratione causæ suæ proximæ, quia oritur ex obligatione injuriantis proveniente ex illius delicto, *cit. §. 8.* pœnalis, & quidem merè pœnalis, quia ad meram tendit vindictam *L. 2. §. 4. ff. de collat.* civilis ratione finis, quatenus opponitur criminali, & tendit ad privatum actoris interesse. Famòsa ratione effectus, quia injuriarum damnatus infamiâ notatur, *L. 7. ff. h. t. l. 1. ff. pr. l. 4. §. fin. de his, qui not. infam.* Gail. *L. 1. obs. 65. num. 7. & l. 2. obs. 102. n. 1.* Annalis ratione adjuncti temporis. *L. 5. c. h. t. ita ferè Lauterb. §. 16.*

Quæst. 477. Quibus injuriatis & qualiter concedatur hæc actio civilis?

Resp. Malè ab aliquibus restringitur hæc actio ad injuriatos verbaliter, cum Prætor indistinctè eam ex quacunq; injuriarum specie concedat. §. 10. *Inst. l. 7. §. 1. 2. & 6. l. 15. §. 1. & 35. ff. h. t.* Lauterb. *l. c. §. 27.* datur etiam omnibus sive mediâte sive immediatè injuriam passis, *cit. §. 10.* ita tamen, ut filiofamilias injuriato regulariter ipsius pater suo & filii nomine eam in judicium adducat. §. 2. *Inst. l. 1. §. 3. l. 19. §. 10. ff. h. t.* quod si principalis mortuus sit, alii tamen, ad quos injuria per indirectum pertinet, actionem injuriarum retinent. *L. 1. §. 3. ff. l. 2. C. h. t.* Potest item injuriatus tam per se quam per alium, puta procuratorem, tutorem &c. hanc actionem in judicium deducere & exercere, §. 10. *Inst. l. 11. §. 2. l. 17. §. 10. & 19. ff. h. t. l. 42. ff. de procur.* idque etiam per procuratorem in rem suam vel cessionarium, prout in omnibus actionibus specialiter non exceptis fieri potest. *L. fin. C. de her. vel al. vind.* Hæredibus verò regulariter hæc actio non datur. *L. 13. pr. l. 15. §. 14. ff. h. t.* Lauterb. §. 28. quia hæc actio tendit ad meram vindictam, quam moriens remittere censetur. Arg. *L. 10. C. de revocand. donat.* nec est hæc actio ante litis contestationem in bonis hæredum, in quibus tamen, quia litè contestatâ esse incipit, ad eos transit. *L. 13. l. 28. ff. h. t. l. 58. de O. & A. l. 139. & 164. ff. de reg. jur.* Carpz. *resp. 44. num. 10.* Lauterb. *l. c.* singulare quoque est in hærede, quòd injuriam funeri vel cada-

veri defuncti illatam vindicare possit. *L. 1. §. 6. ff. h. t.* sic etiam mortuis omnibus de collegio vel universitate aliquâ, quibus viventibus injuria facta collegio transit ad successores illis subrogatos, quia omnibus ejus membris mortuis universitas non moritur, & injuria non tam singulis, quam toti corpori facta censetur, quod idem in novis electis successoribus censetur. *Carpz. l. c. resp. 65.*

Quest. 478. Contra quos injuriantes datur hæc actio?

Resp. Datur regulariter contra omnes injuriantes, etiam Clericos. *Carpz. Jurispr. Consistor. l. 2. d. 412.* & contra eos, qui per procuratorem se defendere possunt. *L. 42. §. 1. C. de procur. Carpz. pr. crim. q. 91. num. 30.* nisi lis cum injuriante defuncto contestata. *L. 18. §. L. unic. C. ex delict. defunct.* vel Princeps ex gratia ad exhibitam supplicationem pro impetrando processu rescripserit, rescriptumque parti legitime insinuatum. *L. 1. §. 2. C. quando libell. Carpz. 7. P. p. 4. c. 46. def. 4. Gail. l. 1. obs. 64. num. 5.* vel etiam, si per Judicem steterit, quo minus lis contestaretur. *Lauterb. §. 29.* Sic datur etiam actio hæc contra eum, qui alteri objicit crimen vel defectum occultum verum, nisi Reipublicæ interfit tale crimen manifestari. *Covar. var. resol. l. 1. c. 11. num. 6. Clarus §. injuria. num. 17. Fachin. controvers. l. 9. c. 10. Reiffenst. h. t. num. 17.* Siquidem ubi publica utilitas non exposcit, quilibet habet jus ad suam famam, ita ut ab alio per manifestationem delicti occulti violari sine injuria non possit, ubi verò utilitas publica, vel etiam præjudicium tertii advertendum sic exigit, licitum est, & injuriam nullam continet, manifestare crimen vel defectum alterius, v. g. quòd sit fur, ne alteri noceat, quòd sit leprosus, vel inhabilis sit ad tale officium. *Arg. L. eum, qui ff. h. t.* Datur quoque hæc actio liberto contra patronum, filio emancipato contra patrem, si injuria est atrox, *l. 7. §. 3. l. 11. §. 7. ff. h. t.* Secus est, ut constat ex iisdem *ll. si injuria illata atrox non est,* quia hæc actio est famosa, seu ipso jure infamis est, qui ex actione injuriarum condemnatur. *l. 1. §. 4. ff. de his, qui infam. no. rant.* nisi injuria omnino levis, prout cum aliis id limitat *Harpr. in §. in summa. Inst. h. t. num. 96.* et si contrarium teneat *Clarus §. injuria. n. 8.*

Quest. 479. Actio injuriarum criminalis quæ, quibus, & contra quos concedatur?

Resp. Primò: actio criminalis est, quâ injuriam passus petit à Judice, ut injurians poenâ arbitrariâ vel corporali vel pecuniariâ silco applicanda ex officio puniatur. *Clarus §. injuria. num. 7. Mynsing. centur. 4. obs. 4. num. 5. Lauterb. §. 39.* causa illius efficiens remota est jus civile. *l. c. l. fin. ff. h. t.* proxima est injuria quæcunque etiam verbalis, ut *Lauterb.* quamvis, ut *Mynsing.* notat, vi factæ à *Carolo V. Ordinat. Cameral. Imper. p. 2. tit. 28.* ob injuriam verbalem plerumque non agatur ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris præstandam per palinodiam, seu ad injuriæ verbalis recantationem seu revocationem, hæc tamen etiam actio ad palinodiam in casu injuriæ verbalis, et si sola plerumque adhiberi solet, potest nihilominus etiam cum actione injuriarum æstimatoria cumulari. *Gail. l. 1. Obs. 65. n. 5. Mynsing. cent. 2. Obs. 98. n. 10.*

2. Resp. Secundò: hæc actio criminalis, et si generaliter competat omnibus injuriam passis, ad distinctionem tamen actionis æstimatoriæ conceditur etiam fratribus, sororibus & aliis cognatis, qui tamen ipsi tantum, & non per procuratorem (aliter ac se res habeat in actione ad æstimationem) agere possunt, nisi sint personæ illustres, quamvis hodie, dum sublata est inscriptio in crimen, vi cujus obligabatur ad poenam talionis actor succumbens in probatione, ex parte actoris procurator indifferenter admittatur, teste *Carpz. pr. Crim. q. 95. n. 51.* apud *Lauterb. h. t. §. 40.* nullo verò actore existente (quia condonavit, vel usus retorsione) hodie de consuetudine universali, si injuria est gravis vel notoria aliòve modo evidenter scandalosa, tendatque ad vindictam publicam ex officio per viam inquisitionis legitime procedere & injurianti poenam dictare potest, ne maleficia maneant impunita. *l. 13. ff. de Off. presid. l. 51. in fin. ff. ad leg. Aquil. Carpz. l. c. q. 96. n. 3. Gail. l. 1. Obs. 39. n. 3. Lauterb. l. c.*

3. Resp. tertio: datur hæc actio adversus omnes injuriantes §. 10. *Inst. h. t.* qui non per procuratorem, sed regulariter ipsi in judicio comparere debent. *L. fin. C. h. t.* (exceptis tamen iterum personis illustribus, & qui se per procuratorem defendere & excipere possunt, *cit. l. fin. C. h. t.*) ex e ratione, quia poena per talem actionem intenta ad corporalem & ultimum supplicium extendi potest. Hodie tamen ex parte rei communiter procuratorem admitti, nisi injuria sit atrocissima, ita ut probabiliter ad poenam corporalem deveniat, & tunc Judicem pro arbitrio procuratorem repellere posse, tradunt *Carpzov. l. c. q. 95. n. 57. Harpr. ad cit. §. 10. Inst. n. 91. Christianæ. vol. 4. decis. 202. n. 7. Lauterb. §. 41.*

Quest. 480. Quibus modis tollatur seu extinguatur actio injuriarum?

1. Resp. tollitur ferè modis sequentibus. Primò: actio æstimatoria tollitur morte tam injuriam inferentis quam eam passi contingente ante litem contestatam, quia neque activè neque passivè transit ad hæredes. *l. 13. princ. l. 15. §. 14. ff. h. t.*

2. Secundò: remissione seu condonatione actoris, seu injuriati, ita tamen ut is, qui est sub potestate alterius, v. g. filius familias respectu patris, religiosus respectu superioris, uxor respectu mariti non possit injuriam seu actionem injuriarum remittere illo invito, sub cujus potestate est, è contra verò pater, superior, maritus possit remittere injuriam illatam constitutis sub sua potestate, etiam illis reclamantibus. *Laym. l. 3. p. 2. c. 6. n. 7. Engels. h. t. n. 13. Reiffenst. n. 23. Arg. L. sed si unus §. 10. §. seq. ff. h. t.* ubi tamen hoc posterius ita limitatur, ut secus sit, si patris persona vilis sit, filii autem valde honesta. Estque hæc remissio extinctiva injuriæ alia expressa, dum nimirum fit vel verbis, literis aliisque indubitatis animi condonantis indicis. *l. 17. §. 6. ff. h. t. l. 52. §. fin. de O. & A.* vel transactione seu pacto atque gratuito. *cit. l. 17. l. 27. §. 2. ff. de pacto. Gail. l. 2. obs. 102. n. 17. §. 18. Mev. p. 1. decis. 223. §. 224. Lauterb. §. 34.* hac voluntate etiam absente reo declarata. *Cit. l. 17. §. 6.* Non sufficit tamen, quod injuriatus graviter decumbens confessorio dixerit, se omnibus hominibus condonare, etiam huic vel illi injurianti, cum DD. communius contra *Bachov. ad §. fin. Inst. h. t.* censentem hoc ipso, ipso jure remissam vindictam, teneant, quòd hæc declaratione tantum rancor animi

mi & vindicta privata ex odio veniens remittatur, non verò, quæ ex justitia commutativa ad utilitatem publicam tendit, quæ vult ut delicta ad delinquentis emendationem, proximi exemplum, & lesi, aliorumque immunitatem puniantur, unde convalescens adhuc salvam habeat actionem, ita Mol. de 7. § 7. Tom. 4. d. 42. n. 3. Berlich. p. 5. concl. 70. n. 18. & seq. & alii, quos citat & sequitur Lauterb. cit. §. 24. ad quam remissionem actionis injuriarum expressam spectat quoque transactio, quæ sponte facta ipso jure tollitur. l. 11. §. 1. ff. b. t. l. 17. §. 1. ff. de pactis, neque refuscitur, licet reus promissum non præstet. citatis LL. quod idem est, si autoritate, vel etiam quandoque jussu Judicis fecit. Mev. p. 1. decis. 223. & seq. quibus casibus transactio in Camera Imperiali confirmatur. Gail. cit. obs. 102. n. 13. conventa tamen per transactionem oblivio injuriarum non tollit actionem legis Aquilæ competentem ad damni per injuriam illati refusionem. Berlich. l. c. n. 20. nisi in remissione fiat quoque mentio damni. Mynsing. cent. 4. obs. 10. in fine. Porro remissio injuriæ atræ est tacita, quæ ex factis elicitur, dum nimirum injuriatus aliquid facit, ex quo probabiliter factam sibi injuriam remississe apparet, v. g. integro anno non revocando in memoriam injuriam, quod tamen non semper tutum esse pronunciat Lauterb. §. 36. sed aliunde ex factis de hoc constare debere, qualia sunt amicum injuriantem salutare, amplexari, pristinam familiaritatem instauratione, ad convivium invitare, legatum relinquere, Carpz. 7. P. Viv. Lauterb. & alii passim. Qualia verò non sunt, nec tacitam remissionem inferunt honestatis gratiæ ex civilitate vel ex officio salutare in publico, propinare in convivio publico, & sic ea præstare coactè, Perez. h. t. n. 23. Gail. de Arresto, c. 14. n. 2. quo etiam refert Carpz. apud Lauterb. l. c. pastoris suo injurianti post injuriam sibi ab eo illatam sacramentaliter confiteri peccata; item quo alii referunt accessum ad Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, eò quod hæc participans vindictam ponere videatur & jubeatur. Verùm hoc displicet aliis, eò quod, licet obeuntibus hæc sacramenta deponendus sit animus vindictæ privatæ erga injuriantem, satisfactionem tamen pro injuria tam sibi quam reipublicæ illatam tanquam jure debitam non teneatur remittere. Abb. in c. 1. de maled. n. 6. Covar. l. 2. var. c. 10. n. 17. Wiestn. h. t. n. 20. Lauterb. §. 24. & quos citat Mev. p. 4. decis. 298. Sande l. 5. c. 8. def. 12.

3. Tertiò: tollitur hæc actio præscriptione unius anni c. 5. c. b. t. ubi: cum injuriarum actio annuo tempore præscripta, est enim actio prætoris, quæ anno utili extinguitur. l. 31. ff. de O. & A. & hoc de jure civili communi verum est, sive injuria sit realis, sive verbalis, & hæc sive dicta, sive scripta, tradit Franzk. ex. 12. q. 9. n. 3. Mynsing. cent. 8. obs. 7. in fine dicens communiorem & magis receptam. Jure verò Saxonico hanc actionem de injuria graviore, v. g. de tortura illegitimè illata, esse perpetuam, testatur Carpz. 7. F. p. 14. c. 46. def. 5. sic etiam in Camera Imperiali tam ob injuriam realem, quam verbalem dictam vel scriptam post annum etiam, seu perpetuam intentari posse actionem firmat. Gail. l. 2. obs. 104. n. 4. De cætero perpetuatur hæc actio litis contestatione, sicut regulariter omnes actiones temporales. Lauterb. §. 38. Porro in hac præscriptione annus ille sicut in omni alia præscriptione requiritur, ut sit utilis. §. 1. Inst. de perpet. & tempor. præscript. l. 1. ff. de divers. temp. præscript. & sic observari in Camera Imperiali tradunt Gail. l. 2. obs. p. 5. à n. 4.

4. Quartò: tollitur retorsione, quæ est remedium consuetudinarium extrajudiciale contra injuriam verbalem, dum nimirum injuriam verbalem passus eam retorquet in injuriantem v. g. si quis ab alio vocatus fur, adulter, spurius &c. respondet: Tu mentiris, aut tu ipse es talis, donec me esse talem probaveris, quæ describi potest, quòd sit injuriæ verbalis ab injuriato in ipsum injuriantem propriâ autoritate verbis vel scriptis in continenti honoris tuendi gratia facta rejectio, per hanc tollitur actio injuriarum, quia per eam censetur satisfactum injuriato, satisfactione autem tollitur actio injuriarum. l. sed si §. 6. h. t. qualiter verò, ut liceat retorsio, fieri ea debeat, dicitur seq. quest.

Quest. 481. An & qualiter remedium hoc retorsionis licitum sit & permissum.

REsp. multum in hoc decidendo altercari & controversere A. A. quorum opiniones aliquot referre & explicare lubet. Primò: si accipiatur hæc retorsio, prout est privata vindicta, in foro conscientie illicitam & omni jure prohibitam esse, ut constat ex Matt. 5. v. 44. Luc. 6. v. 27. ad Roman. 12. v. 14. 1. Pet. 3. v. 9. Verùm ab hac ratione privata vindictæ eam deputari posse ex intentione injuriati adhibentis illam pro defensione famæ lædendæ, seu damno imminente in fama avertendo, quod eo ipso incurreret, si taceret; evitaret, si in continenti debito modo retorqueret, seu rejiceret in injuriantem, atque hac ratione retorsionem habere rationem veræ & licitæ defensionis, ut docet Pirh. h. t. n. 6. non video, cur neget Lauterb. h. t. §. 50. cum etiam juris naturæ sit vim vi repellere posse, etiam injustum aggressorem, ubi aliter fieri non potest repulsio, occidendo, absque eo, quod talis retorsio habeat rationem injuriæ & privatæ vindictæ, ut vult Lauterb. cum id ipsum dependeat ex animo injuriandi vicissim injuriantem, ac ita privatim se vindicandi, quem animum habere retorquentem necesse non est. Unde nontantum moribus, ut ait Lauterb. l. c. §. 60. citans pro hoc Harp. ad §. 12. Inst. h. t. n. 106. Berlich. p. 5. Concl. 64. à n. 1. Carpz. pr. Crim. q. 97. n. 24. Gail. l. 2. obs. 100.

Bardili, Struv. &c. hoc remedium in toto fere Imperio permissum, ita ut retorsio in foro soli non sit punibilis, sed ex æquitate naturali ubique permittendum. His non obstante, quod injuriatis autoritate publica per varias actiones subveniri possit, siquidem finis retorsionis est defensio famæ & existimationis, & potissimum, ut injuriatus molestias processus ejusdemque longam protractionem evadat, & sumptibus parcat, quod sit evitatis dictis actionibus utendo retorsione, Berlich. l. c. n. 38. Lauterb. §. 64. Cæterum retorsio libelli famosi per alium libellum famosum locum non habet, quia est crimen atrocissimum, Carpz. 7. F. p. 4. c. 44. def. 7. Lauterb. §. 7. Dixi: retorsio modo debito facta; nam, ne retorsionum licentia nimium evagetur, moribus intra certos terminos coercita est, ut inquit Lauterb. §. 63. Sic imprimis retorsio debet esse certæ injuriæ rejectio in conviciantem, seu illa ipsa injuria seu convicium illatum sibi, v. g. dum quis compellatus adulter respondet: *ialis tu es, vel, hoc mihi objicit adulter*; non enim omnis contradictio vel responsio est retorsio, v. g. si fur nominatus respondeat: *Sum vir integræ famæ, tale quid nunquam admisi, idque fit, vel verbis generalibus, v. g. regerendo: tu mentiris, vel specialibus: men-*

iris velut detractor fama, wie ein Ehren Dieb. Secundò debet esse moderata & proportionata, non plus vel gravius quid obijciendo seu rejiciendo in conviciantem, quam injuriato objectum, v. g. dum quis appellatus fur, compellaret vicissim alterum furem, & latronem vel solum adulterum aut venificum; tunc enim sunt duæ injuriæ formales & uterque injuriarum agere potest, & illatam per hoc in injuriantem iterum retorquere. Carpz. *Juris Feud. p. 4. c. 46. Def. 11. Myns. l. c. obs. 17. n. 3.* quamvis tam retorquenti excedenti hæc ratione modum imponatur deprecatio, vel recantatio, vel mitior pœna, quia non tam ex proposito quam animi perturbatione & justo dolore fecisse creditur. Carpz. *l. c. Berlich, l. c. n. 31. Tiraq. de pen. temp. c. 1. n. 12.* Tertio: fieri debet retorsio in contenti, idque ex natura defensionis, cujus species est retorsio, idcoque à præsentate & audiente conviciato statim facienda. Gail. *cit. obs. 100. n. 3. Carpz. pr. crim. q. 97. n. 27.* Si verò injuriatus absit, quamprimum certò rescivit, injuriam seu convicium sibi factum, & retorquendi occasionem seu potestatem habuit, scilicet libellum retorsionis ritè conceptum & suâ manu subscriptum, Notario cum testibus convocato, ab eodem palam legendum curet, & dein Notarium requirat, ut dictum libellum injurianti legitime insinuet, seu per literas intimari faciat, omnia ad notam sumat, & desuper instrumentum conficiat. Lauterb. *cit. §. 63.* cum Carpz. Struv. Berlich. Harprecht. & aliis dicens, hunc modum retorsionis in dicto casu absentia injuriati tutissimum esse. Quem tamen Notarium retorsionem scriptam insinuante operam suam in eodem negotio ei, cui insinuata, præstare non debere, rectè moneat Harpr. Struv. & alii apud Lauterb. §. 62. Porro quod hic notandum: retorsio legitime facta non præjudicat Magistratui, quò minus ad pœnam contra injuriantem procedere possit. Carpz. *J. F. p. 4. n. 41. Mev. ad jus Lubec. l. 1. tit. 4. a. 10. n. 14. Lauterb. §. 64.* & alii apud illum. Interim opinio ipsius, in quem facta retorsio, tam diu apud honestos viros manet gravata, donec de veritate criminis objecti à se primò injuriato docuerit. Berlich. *l. c. n. 30. Besold. thesaur. pr. v. retorsio. Lauterb. cit. n. 64.*

Quest. 482. Quænam sit pœna injuriarum inferentis?

Resp. Pœna criminalis injuriarum est extraordinaria arbitrio Judicis determinanda, consideratis circumstantiis & qualitate delicti. §. in summario. *Inst. h. t.* interdum pecuniaria sisco applicanda, carcer, relegatio, fustigatio, manûs amputatio, interdum etiam ultimum supplicium, si injuria sit atrox, & adversus Magistratum, parentes. Carpz. *pr. Crim. q. 100, per 101.* qui tamen vult mortis supplicium ob injurias verbales etiam atrocissimas non inferri. Et dum pœna injuriæ illatæ per libellum famosum dicitur capitalis. *l. unic. c. de libell. famos.* eam non intelligendam de ultimo supplicio, sed de pœna exilii aut deportationis, explicat Harpr. *in §. 1. Inst. h. t.* nisi crimen per libellum famosum imputatum alicui esset capitale, tunc enim pœnam talionis imponendam statuit *constr. Crim. Caroli V. A. 110.*

Quest. 483. An & quando in foro conscientia possit injuriatus, aut teneatur instituere vel remittere actionem injuriarum?

1. Resp. Primò: tametsi injuriam passus teneatur injurianti ignoscere in hoc sensu, quòd nullum odium, nullamque vindictæ cupiditatem adversus illum habere vel fovere, multoq; minus re ipsâ se vindicare potest, ut constat ex dictis *quest. ante hanc. 3.* non tenetur tamen eidem remittere injuriam, vel ignoscere in hoc sensu, ut omnem injuriarum actionem & palinodiam remittat, sed potest ad tuendam famam & honorem suum harum actionem aliquam pro libitu assumere, prout habet communis & certa. Neque tamen etiam regulariter tenetur instituire actionem injuriarum, sed potest licitè per se loquendo ex humilitate aliæ virtute aut causâ justâ injuriam & omnem injuriarum actionem, ex toto remittere, quin & se ipsum infamare suâque delicta remittat, exemplo D. Augustini aliorumque SS. cum sit dominus famæ & honoris sui, ita ut possit illam negligere, nihilominus tamen

2. Resp. Secundò: quandoque in conscientia, non tantum propter scandalum & præjudicium aliorum vitandum, sed & ratione boni communis (ad quod promovendum malâ famâ notatus plerumque inutilis est) quòdque ex læsione famæ & honoris non reparata sequatur grave damnum ipsius injuriati per actiones institutas aliâque media licita injuriam propullare, & maculam sibi illatam diluere, juxta monitum *Eccles. 41. curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi: quàm mille thesauri pretiosi & magni, juxtaque can. non sunt. 11. q. 3. & can. nolo. 12. q. 1.* quòrum can. verba utiliter recitat Reiffenst. *h. t. n. 29.* verum de his, ut & de obligatione, quam habet in conscientia injurians infra ampliùs.

Quest. 484. Libellus famosus quid sit, quæ illius causa, quis reus illius, & quæ ad eum requirantur, quis finis, effectus, pœna?

1. Resp. ad primum: Libellus famosus, prout in jure civili *l. 47. tit. 10.* sumitur, constituitque distinctam speciem injuriæ scriptæ in proprio sensu continet seu denotat quamlibet scripturam infamantem. *l. 1. §. 9. ff. h. t. l. unic. C. de famos. libell. epigramma, carmen, satyram. l. 21. ff. de testibus. historiam, comædiam, picturam, sculpsile, opus futorium in alicujus infamiam, Recess. Imper. de Anno 1530. §. 52.* vocari quoque solitus Pasquillus, à Romano Sartore Pasquino, qui mirâ impunitate Aulam & Curiam Romanam vellicare solebat, quo mortuo dum terra effodebatur, ejus statua reperta prope ejus tabernam erecta, cui omnis generis chartæ famosæ noctu affigebantur, & dein alia illi similis & correspondens Romæ in Capitolio statuta. Lauterb. *tit. de injuriis & famos. libell. §. 66.* ex Besold. *th. pract. V. pasquillus.* Differt. à Scriptura injuriosa tanquam species à genere ratione materiae, forma, fine, præscriptione. Carpz. *pr. Crim. q. 98. n. 10. & seq.*

2. Resp. ad Secundum: causâ illius efficiens nec non subjectum idem est, quod aliarum injuriarum scriptarum, ejusque reus non tantum est author seu componens, sed & scribens, dictans. *cit. l. 5. l. 12. §. 27. ff. h. t.* legens cum voluptate, & alteri ad legendum tradens, mandans, mandatarius, *cit. l. 5. §. 9.* non corrumpens. *cit. l. unic. de fam. libell. typis excudens. cit. recess. Imp. in noticiam producens, vendendum & emendum curans. cit. l. 5. §. 10.* affigens & ad inveniendum projiciens. Menoch. *de Arb. l. 2. cas. 263. n. 35.* Lauterb. §. 67.

3. Resp.

3. Resp. ad tertium: ad formam illius specificam, quæ ab aliis injuriis distinguitur, requiritur primò: ut in eo, dum est Scriptura, dolose ad infamiam alicujus exprimat delictum famosum & notabile, quod in populum spargatur, & pœna foret corporis afflictiva vel infamia, *ord. crim. a. 110. Carpz. 7. F. cit. def. 4.* Secundò: ut Author in eo nomen suum celet, sive fictum vel alienum, imò ut nullum apponat, ut veriùs docere videntur *Carpz. l. c. def. 3. Brunem. ad cit. l. unic. de fam. libell. n. 5. & ad l. 5. §. 9. ff. h. t. Bardili. concl. forens. exercit. 31. th. 33. & plures alii, quos citat & sequitur Lauterb. h. t. §. 68. contra Boccr. de fam. libell. p. 2. n. 7. Harpr. ad §. 1. Inst. h. t. n. 151. Berlich. p. 1. Concl. 67. n. 37. Struv. exerc. 48. n. 67. &c. ceterùm gravius delinquit, & si innotescat, punitur, què alterius nomen usurpat, nomen verò suum apponens vel ad probationem, vel, si in ea deficiat, se ad pœnam offert, & proin mitius punitur, qui autem nullum opponit nomen, eo ipso agnoscit, se falsum crimen objicere. *Arg. l. 1. §. 4. Cod. th. eod. l. 9. tit. 34. cum quibus convenit l. unic. c. h. t. infamati verò nomen, sive exprimat, sive ex aliis circumstantiis cognoscatur, perinde est. l. 6. ff. h. t. Magistratus interim ex officio in hujusmodi criminolos seu reos libelli famosi inquirere potest. Novell. 128. c. 21. Brunem. ad l. 7. c. h. t. n. 4. uti & indicanti auctorem constituere præmium ex bonis & pro modo accusatæ personæ, l. 5. §. fin. h. t.**

4. Resp. ad quartum & quintum: finis famosi libelli est, ut honestæ personæ æstimatione lædatur, effectus respectu infamati est, ut famosus libellus alterius exiltimationem apud viros graves & honestos non lædat. *cit. l. unic. c. h. t. respectu infamantis est pœna.*

5. Resp. ad sextum: pœna hæc olim apud Romanos ex L. XII. Tabular. indifferenter fuit capitalis, ut testatur Zieriz. apud Lauterb. h. t. §. 69. quæ dein abiit in desuetudinem l. 5. §. 9. ff. h. t. ac demum iterum restituta, l. unic. de famos. libell. pœna

verò capitalis in jure dicitur non tantum, quæ vita naturalis, sed etiam quæ vita civilis admittitur. §. 2. *Inst. l. 2. ff. de publ. judic. l. 103. ff. de V. S. unde per pœnam capitalem, h. t. quidam supplicium ultimum, alii deportationem, alii pœnam talionis, ut nimirum auctor famosi libelli eadem pœna, quam delictum in passuillo imputatum importat, punitur, intelligunt, quod postremum rectius dici sentit Lauterb. h. t. §. 69. cum Berlich. l. c. concl. 67. n. 9. & 21. Theodoric. in colleg. crim. c. 2. Aphor. 20. n. 28. Arg. l. 34. ff. de jure fisc. jure canonico can. 3. caus. 5. q. 1. qui famosos libellos in Ecclesia ponunt, anathematizantur. De cætero ob libellum famosum, etiam civiliter condemnatus, redditur infamis. l. 1. ff. de his, qui not. infam. l. 10. c. ex quibus cas. infam. irrogat. Fit intestabilis, l. 5. §. 9. ff. de testib. mitius tamen quàm pœnâ talionis punitur, qui non est auctor seu compositor libelli, etsi consilium dederit, qui inventum libellum à se propalavit, vel aliis communicavit, imò ipse auctor, si ante perfectionem & divulgationem pœnitentiâ ductus illum laceravit, neque pœna libelli famosi locum habet, bene tamen extraordinaria, si quis verum crimen obiecerit, nomen non apposuerit & diffamator illud probare voluerit, ut habetur in *const. crim. Carol. cit. a. 100.* Porò Typographi hujusmodi libellos excudentes omnibus exemplaribus, & potestate excudendi privantur, & arbitrariè puniuntur, juxta *cit. recess. imp. §. 66. Bibliopolæ quoque scienter vendentes illos nequam à pœnis excusantur. Cessat verò pœna hujus delicti morte delinquentis, item præscriptione annorum 20. juxta l. 12. C. ad leg. Corn. de fals. actio autem ex libello famoso est perpetua. Hahn. ad Wesenb. h. t. n. 19. in fin. Gail. l. 2. Obs. 104. n. 3. Fachin. l. 8. Controv. 9. in arbitrio autem læsi per libellum famosum est instituere actionem injuriarum æstimatoriam vel recantatoriam, quia est species injuriæ, Carpz. 7. Fend. p. 4. c. 44. def.**

4. & 6.

CAPUT II.

De Damno dato.

Quæst. 485. Quid intelligatur per damnum datum, de quo secundà parte huius tit. & in jure civili l. 9. t. 2. ad legem Aquil.?

Resp. non intelligitur damnum, quod lucrificandi causâ alteri infertur, v. g. per rapinam, furtum, usuram, de quibus in *precedentib. tit.* sed quod iniuriâ seu non iure facientis, hoc est, contra ius alterius, sive in eius corpore, sive rebus illius animatis vel inanimatis eas corrumpendo vel deteriorando datur, ut ipsius patrimonium sine ullo damnificanti lucro vel emolumento diminuatur. *Host. in sum. h. t. n. 1. definiti potest, quòd sit privatum delictum, quo damnum sine facientis iniuria per iniuriôsam rei corruptionem dolo vel culpa datur, quodque lege Aquiliâ vindicatur. Sumitur ex §. 2. 3. 13. Inst. h. t.*

Quæst. 486. Quot modis damnum hoc dari seu inferri possit?

Resp. Tribus, nimirum dolo, culpâ, fortuitò; dolo si fiat aliquid, vel omittatur animo nocendi,

seu eâ intentione, ut damnum sequatur. l. 1. §. 2. ff. de dolo, qui animus seu intentio ipsius damnificantis si confessione vel certis & indubitatis indicis declaretur, dolo verus; præsumptus autem dicitur, si ex indicis non quidem omnino indubitatis, verisimilibus & valde urgentibus colligatur, *Barthol. in l. quod Nervæ. ff. de depositi. n. 14. Molin. de 7. & 7. tr. 2. d. 29. n. 4.* Ex culpa, quando adhibita diligentia damnum evitari potuisset; quæ culpa vel est iuridica, vel etiam theologica, quæ committitur cum peccato; eaque triplex, lata, levis, levissima. l. in lege Aquilia. ff. ad leg. Aquil. Lata, quæ communiter omissione diligentia, quam homines eiusdem conditionis ad evitandum damnum solent adhibere, committitur, v. g. si quis librum sibi commodatum foris extra domum relinquit. Levis, quæ consistit in omissione diligentia, quam adhibere solent providentiores, & rerum suarum magis studiosi, v. g. si liber intra cubiculum quidem, sed non clausum relinquatur. Levissima, quam committit omittens diligentiam, quam adhibere solent non nisi exactissimi, & quæ extraordinario studio damna præcavent; v. g. cum liber quidem relinquitur

in

in cubiculo clauso, sed non exploratur, an fera sit obducta, Wiestn. *h. t. n. 23.* cum Molin. *l. c. n. 4.* Haunold. *de 7. & 7. tom. 1. tr. 2. n. 185.* casu fortuito damnum datur, quando res perit aut deterioratur eventu omnino insperato & qui nullo humano consilio vel diligentia evitari potuit. *l. non utriusque. §. 7. ff. de Administrat. rer. ad civitat. v. g. si pereat naufragio vel fulmine de cælo lapsa. Mol. l. c. n. 3.*

Quæst. 487. A quibus, & in quibus rebus hoc damnum detur?

1. Resp. ad primum: nihil interest, cujus conditionis, sexus, qualitatis aut status sint inferentes illud, modò usu rationis non destituantur, ut sunt furiosi, infantes, infantia proximi. *l. 5. §. 2. ff. h. t. item dormientes, & hinc lege Aquiliâ vindicari nequeunt. l. 1. §. 3. ff. de A. & A. P. secus est de etiam plenissimè ebris. Carpz. *pr. crim. p. 3. 9. 45. n. 39.* Arg. *l. 6. §. 7. ff. de re milit. proinde etiam servus tenetur ex hoc delicto. l. 14. ff. de O. U. A. quamvis is, quamdiu est in servitute, non conveniatur, sed eius dominus actione noxali (quæ est actio personalis ex privatis servorum delictis adversus dominos illorum competens, de quo vide Lauterb. *ad ff. l. 9. tit. 4. §. 2.*) conveniatur tamen manumissus, si ante manumissionem actori satisfactum non sit. *cit. l. 14.* tenentur etiam fœminæ ex hoc delicto. *l. 9. ff. h. t. aded ut etiam earum maritus ex hoc capite agere possit. l. 27. §. 30. & l. penult. ff. h. t. neque excipiuntur ipsi Magistratus. l. 29. §. 7. ff. h. t.***

2. Resp. ad secundum: committitur in rebus, quæ læduntur, vel quarum à corruptione & deterioratione alterius patrimonium diminuitur. *§. 13. Inst. l. 27. §. 5. ff. h. t. regulariter objectum illius damni sunt res alienæ. l. 2. ff. h. t. non enim in rebus propriis dominus dare damnata, & se ipsum convenire potest regulariter, potest tamen in re propria damnum dare, & hac actione teneri & conveniri, ratione nimirum juris, quod tertius quis in re illa habet, v. g. usufructuarius in re fructuaria proprietarii. *l. 11. §. fin. l. 12. ff. h. t. vel in re domini oppignorata creditoris. l. 17. 19. 20. ff. eod. circa quæ notandum quoque, quòd quandoque subjectum patiens damnum, & objectum, in quo patitur damnum, regulariter distinguantur, v. g. si servus vulneratus sit, dominus servus est subjectum, quod patitur damnum, servus vero est res seu objectum, in quo dominus patitur damnum, è contra quandoque subjectum & objectum coincidunt, v. g. si homo liber vulneratus sit, ratione expensarum & operarum, quæ propter ejus invulnerationem amittuntur. *l. 12. ff. h. t. Lauterb. v. ff. ad leg. Aquil. §. 6.***

Quæst. 488. An & quando quis obligetur ad compensationem damni casu fortuito dati?

Resp. in nullo foro per se quis obligatur ad compensationem damni orti ex mero casu fortuito. *c. unic. de commodato l. 1. §. 4. ff. de O. & A. siquidem res casu fortuito perit domino suo. l. pignus C. de pignor. l. que fortuito. C. de pignor. act. Per accidens tamen ratione conventionis vel moræ in re domino restituenda etiam casum fortuitum præstandi dari potest obligatio. *cit. c. unic. & l. 1. C. de commodato & reg. 35. in 6. Navar. man. c. 17. n. 178. & seqq. Mol. de 7. & 7. tr. 2. d. 29. n. 7. Less. de iust. l. 2. c. 7. n. 36.**

Quæst. 489. Ex qua culpa detur obligatio reparandi damnum?

1. Resp. primò: ex culpa lata iuridica, tam in foro externo, quam interno oritur dicta obligatio. Innoc. *in c. sicut. de homicidio. Sylv. v. culpa. n. 5. & 6. Molin. l. c. d. 293. n. 7. Haunold. tom. 1. de 7. & 7. tr. 2. n. 186. Castrop. tr. 32. d. 3. p. 1. n. 7.* culpa enim iuridica lata per se continet culpam theologicam, & quidem gravem, si res, quæ ex ea perit, sit gravis v. g. in incendio vel homicidio cavendo, nec ex actione sua vel omissione sequatur.

2. Resp. Secundo: ex culpa iuridica levi & levissima, carente omni culpâ theologicâ pro foro externo tam ecclesiastico quàm seculari oritur obligatio reparandi damnum datum; sic tenetur ad hanc reparationem, qui explodendo bombardam in loco, ubi iaculari non licebat, traicit servum vel animal alterius, *§. itaque inst. de leg. Aquil.* item medicus & Chirurgus, qui agrum imperitè curavit vel secuit. *§. praterea §. imperitia. Inst. eod. item paterfamilias, ex cujus ædibus projectum vel effusum quid transeuntium personis, vestibus, rebûsve aliis damnum intulit. §. item is. Inst. de oblig. ex quasi delict. item caupo & rector navis, si furtum in eius domo factum. §. exercitor. Inst. tit. eod. item dominus, cuius mancipium damnum, vel quadrupes pauperiem, id est, nocumentum alteri intulit. *pr. Inst. de noxali act. & pr. Inst. si quadrup. pauper. fecit, quæ & similia iura etiam concordantibus ff. & C. titulis habentur, nec non obscure approbata iure canonico, hoc tu. ubi c. si quis. quod, qui cisternam fodit, & non cooperuit, debeat reddere pretium animalis in eam lapsi. c. si bos. & c. si leserit. ubi;* quòd damnum à bove corrupteta vel alio animali animalibus, agris, vineis illatum refarcire debeat, qui bovem corruptetam non custodivit, aut aliud animal dimisit, *c. si egressus. ubi;* quod fegetes alienas igne in suo agro excitato urens damnum compensare teneatur, & *c. sua. ubi in genere dicitur, quòd, qui suâ culpâ, imperitiâ, negligentia, ignorantia alterum damnificavit, præstare satisfactionem obligetur, sed neque ex dicta culpa tenetur tantum ad illatum damnum, verum etiam ad lucrum inde cessans damnificato, v. g. vulnerato ad operas eius omittas, & expensas in Chirurgo factas. c. 1. h. t. Farin. *pr. crim. p. 5. q. 119. n. 110. Sayr. clav. reg. l. 10. c. 1. n. 20. Pirh. h. t. n. 17.* Et hæc omnia à LL. & SS. canonibus sic disposita, quia legum conditores æquius esse censuerunt, illum potius carere omni damno, quia contra omnem suam culpam, imò & contra omne factum suum passus est damnum, quàm qui illud facto suo vel omissione, etsi levissimè culpabili, intulit, quem proinde obligari in foro externo voluerunt ad servandum alterum indemnem, refarciendo damnum ei illatum, & consequenter cogere illum possunt ad satisfaciendum obligationi isti ei impositæ, etiam citra hoc, quòd obligaverint eum ad hoc in conscientia, seu sub culpa theologica, Unde**

3. Resp. tertio: non esse obligationem in foro interno seu conscientia ante sententiam Judicis reparandi damnum ortum etiam ex culpa levissima merè iuridica, v. g. ex ignorantia, inadvertentia vacante omni culpâ theologicâ (quod fieri posse supponit hæc sententia) communius & in praxi probabilius docent Mol. *de 7. & 7. tr. 2. d. 698. n. 6. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 2. De Lugo de 7. & 7. d. 7. f. 3. & 4. Less. l. 2. c. 7. n. 24. Haunold. de 7. & 7. tr. 2. n. 178. Tanner. tom. 3. d. 4. q. 6. du. 2. n. 40. Pirh. h. t. n. 11. Reiffenst. h. t. n. 43. Wiestn. n. 33. contra Covar. de Sponsali. p. 2. c. 6. §. 8. n. 15. Zoel. in ff. ad leg. Aquil. n. 6.*

Richt.

Richt. d. de damno n. 3. quibus favere videtur Barb. in c. fin. h. t. n. 2. Tenentes ex quavis etiam levissima culpa juridica oriri obligationem in conscientia refarciendi damnum. Ratio responsionis est, quod præterquam plures graves AA. negent, per leges civiles posse imponi obligationem in conscientia, leges etiam ecclesiasticae, eam imponentes citra sententiam Judicis, sint nimis rigidae, & attentâ fragilitate humanâ in foro animæ impracticabiles, adeoque videri possint injustæ, Arg. c. erit autem. dist. 4. dum ibi ad justitiam legis requiritur, ut sit possibilis secundum naturam. Accedit, quod tam gravis obligatio, utpote in legibus illis non expressa, passim sit ignota fidelibus, dum eorum communis sensus & persuasio est, se in conscientia tutos, & ab ea obligatione immunos esse, quando ipsis incitis & omnino non advertentibus, ac proinde involuntariè damnum contigit, non secus ac si fortuito vel à bestia contigisset. Ex quibus omnibus illud ad minimum conficitur, quod talis obligatio in conscientia ab omnibus ferè, etiam ab oppositæ sententiæ assertoribus in dubium vocetur, in re autem dubia & obscura pars benignior sit præferenda. l. semper. & l. eaque. ff. de Reg. Jur. & standum pro immunitate ab obligatione & libertate, in cujus possessione à natura constituti sumus.

4. Resp. quartò: damnum sine culpa theologica datum compenstandi obligatio in conscientia dari post sententiam Judicis pronunciantis juxta leges videtur communis & probabilis doceri à Mol. l. c. n. 5. & aliis contra Haunold. cit. n. 178. fundantem se in præsumptione culpæ theologicæ, quæ præsumptio in foro interno cedat veritati; nam sententia illa Judicis non profertur ob præsumptionem culpæ theologicæ, sed ob juridicæ culpæ probationem, quæ inducitur vi dictarum legum quæst. præced. citatarum, quæ ex justissimis causis latæ, nimirum, ut quilibet sollicitus invigilet, ne suâ suorumque culpa damnum inferatur proximo, reipublicæ tranquillitas turbetur, si sit immunitas obligationis reparandi damni etiam ex culpa levissima orti, sunt justissimæ. etsi eæ non obligent in conscientia, & juxta quas si feratur sententia Judicis, ea justa est, & inducit obligationem in conscientia reparandi damni, & consequenter culpam theologicam, si non observetur: adeoque plus operatur quam casus merè fortuitus. Unde jam dici nequit, talem damnificantem ex culpa levissima non obligari in conscientia ante sententiam Judicis, adeoque nec post eam.

Quæst. 490. Qualis, & ad quid, & cui detur actio ob damnum datum?

1. Resp. primo: datur actio ex lege Aquilæ, primò si damnum importet occisionem hominis vel pecudum quæ gregatim pascuntur, ut oves, boves, sues, datur actio ad æstimationem, non tantum quanti fuit tempore interitus, sed etiam quanti retro per totum annum & insuper ad æstimationem omnis damni, quod occisione hominis vel pecudis alteriusve rei deterioratæ vel destructæ contigit, juxta dicta quæst. præced. & §. 10. & seq. Inst. ad leg. Aquil. in specie autem si animal, quod gregatim non pascitur, v. g. canes, aves, feræ, occidatur, petitur æstimatio rei deterioratæ aut peremptæ: quanti retro à proximis triginta diebus fuerat. §. si illud autem. inst. ad leg. Aquil. De cætero etsi in actione ex Leg. Aquil. regulariter solum petatur æstimatio damni, & quanti interest damnificantis damnum datum non fuisse, §. 10. Inst. h. t. dantur tamen casus & actiones, ex aliis legibus, in quibus ad plus convenitur damnificans, v. g. ad duplum, dum quis

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. V.

clam Arbore alterius succidit. l. furtum. §. fin. l. 8. ff. arborum furtum casar. ad quadruplum, dum quis per vim intulit damnum; item ad quadruplum, dum quis tempore calamitoso, puta, incendii, tumultus, ruinæ, naufragii damnificavit. l. 1. pr. & l. 3. §. non solum. ff. de incendio, ruina &c.

2. Resp. Secundò: si animal pauperiem, id est, damnum dederit, contra dominum illius datur actio, ita tamen, ut ei liberum sit vel præstare æstimationem damni, vel animal noxæ dedere, id est, vivum tradere damnificato, non tamen liberabitur dominus tradendo animal, sed in solidum tenetur ad omne damnum refarciendum, si dominus fuerit in culpa, animal naturâ suâ ferox non bene custodiendo, ne læderet; idem est, si Animal ex natura non ferox solitum cornibus impetere alia animalia damnum fecerit. c. fin. h. t. §. quod si, & ibi Abb. n. 3. not. 4. Pirh. h. t. n. 12.

3. Resp. tertio: potest clericus agere ad æstimationem injuriæ sibi illatæ, & petere, ut pœna pecuniaria sibi applicetur ultra damna & interesse ex injuria secuta. C. olim h. t. Abb. ibid. n. 3. Farin. pr. crim. p. 3. q. 105. n. 36. Pirh. h. t. n. 19. not. 3.

4. Resp. denique: competit actio directa domino rei læsæ ejusque hæredibus. l. 11. §. 6. l. 23. §. 8. h. t. utilis autem etiam reliquis in re læsa jus vel interesse habentibus, ut sunt usufructuarius, cit. l. 11. §. fin. bonæ fidei possessoribus. l. 17. ff. h. t. creditoribus hypothecariis, cit. l. 17. vasallis, emphyteuticariis, superficiariis, non tamen datur habentibus tantum interesse ob jus ad rem, cit. l. 11. §. 9. neque datur uxori à marito vulneratæ, aut nimia sævitiâ ab eo malè tractatæ, cum ratione liberi hominis non detur, nisi ratione expensarum, curationis, quas maritus facere tenetur. l. 13. C. de negot. gestor. & operarum, quæ marito debentur, Lauterb. ad Leg. Aquil. §. 21. sed neque restituere tenetur quicquam ratione deformitatis relictæ in corpore, quia liberum corpus non recipit æstimationem. l. 3. ff. si quadrupes pauperiem, Pirh. h. t. n. 17. quamvis pœnâ extraordinariâ carceris, relegationis, fustigationis puniri possit maritus.

Quæst. 491. Repressaliæ quid sint, & num sint licitæ, & contra quos concedi possint?

1. Resp. ad primum: repressaliæ, de quibus c. est unico. h. t. in 6. quæ pignorationes vocantur, sunt literæ, in quibus Princeps vel respublica subditis, aut militibus suis injustum damnum passis dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium in compensationem illorum, Sylv. v. repressaliæ n. 1. Laym. ib. mor. tr. 3. c. 12. n. 13. Pirh. h. t. n. 21.

2. Resp. ad Secundum: ut licitæ sint ejusmodi repressaliæ, requiritur primò: autoritas Principis concedentis illas, ut bellum indicere possit, cum sint species quædam belli. Covar. reg. peccatum. p. 2. §. 9. n. 5. Secundò: justa causa concedendi illas, talis nimirum, ob quam justum bellum indici possit, ut dum respublica, contra quam conceduntur, neglexerit vindicare, quod à suis subditis improbè factum fuit, vel reddere, quod per injurias ablatum est. c. dominus. 23. q. 2. Tertio: recta intentio illius, cui conceduntur. Quarto: ut illarum damnum non excedant. Quintò: ut non fiant in personis innocentibus, qui nullam in damnificando culpam contraxerunt, bene tamen in rebus eorum, occupando & diripiendo illas, & hinc etiam per accidens

L 1

illos,

illos, si sua defendant, occidendo, ut fieri solet in bello justo, dum v. g. civitas aliqua aliter occupari non potest, quin simul innocentes occidantur aut lædantur cum nocentibus, qui damnum intulerunt. Covar. l. c. §. hinc ni fallor. Sexto: ut respublica vel Princeps, contra quem indictæ repressaliæ, prius admonitus compensationem facere vel imperare neglexerit, ira ferè Pirh. l. c. ex Sylv. l. c.

3. Resp. ad tertium: repressaliæ indici vel con-

cedi non possunt contra personas ecclesiasticas ve, bona earum, utpote quæ gaudent eodem privilegio quo ipsæ personæ, neque concessæ ad illas extendendæ; cum repressaliæ sint odiosæ, adeoque non extendendæ, sed restringendæ. Sed neque extendendæ ad Scholares juxta Authen. habita c. ne filius pro patre, quæ, licet loquatur de Studentibus in aliis facultatibus, maximè in jure canonico. Gl. in cit. c. cisi. unic. b. t. in 6. de quo plura Sylv. l. c. n. 8.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

CAPUT I.

De pœnis in genere.

Quæst. 492. Quid & quotuplex sit pœna?

R Esp. ad primum: pœna propriè loquendo est noxæ vindicta. l. aliud est ff. de V. S. sive supplicium quo quis ob culpam punitur, quippe sine qua regulariter nemo punitur. Dico regulariter; nam in crimine læsæ majestatis etiam filii innocentes in detestationem paterni criminis puniuntur. l. quisquis C. ad Leg. Jul. Majest. item in quibusdam aliis casibus, ubi justa causa subest, ad terrorem ceterorum etiam innocentum, quod indicat reg. Jur. in 6. sine culpa, nisi subfit causa, nemo punitur.

2. Resp. ad secundum: pœna in genere multifariè dividitur, & quidem primò in civilem & criminalem; civilis est, quæ non tam tendit ad vindictam publicam & coercionem delictorum seu publicæ disciplinæ emendationem, quàm ad privatum commodum, seu partis læsæ satisfactionem, & hinc strictè loquendo pœna merè civilis non est pœna, quia rationem vindictæ publicæ non habet. Subdividitur in conventionalem, quæ à privata contrahentium conventionem dependet, seu mutuo eorum consensu contractui adjicitur, ut is firmiter observetur, solvenda ab eo, qui, quod conventum, non observat, & si uterque contravenit contractui, à neutro præstanda, cum paria delicta quò ad pœnam privatam mutua compensatione tollantur. l. si ambo, ff. de compens. in eo verò, num, si contractus ex parte solum non observatus, v. g. dum conventum, ut nisi mille accepta restituantur statuto die, solvantur 500. & dicto die non restituantur nisi 500. sufficiat pro pœna solvi 25. in eo, inquam, non conveniunt AA. Arg. c. suam nos. h. t. sufficere in hoc casu solvi mediam partem conventæ pœnæ, & sic juris civilis rigorem, permittentis in eo casu exigere totam pœnam l. stipulationum §. fin. & l. in executione. §. 6. ff. de V. O. correctum per jus canonicum tenent cum Gl. in cit. C. suam nos. v. persolvatis. Innoc. Abb. n. 6. Beronius in c. dilecti. de arb. n. 82. ad quos accedere videntur Sarmiento f. 5. select. c. 6. n. 11. Zoel. in cit. l. stipulationum n. 5. Fachin. l. 10. conrovers. l. 263. contrarium tenentibus Cabedo divers. jur. arg. l. 2. c. 18. à n. 1. & aliis, ex ea ratione, quod jure civili inducta totius pœnæ solutio injustitiam non contineat, neque Papa verbo ullo meminerit istius correctionis juris civilis; vide de his fufsius Wiestn. h. t. à n. 4. Porro ad has pœnas con-

ventionales reducuntur pœnæ testamentariæ, quæ à testatoris dispositione originem ducunt, jure quidem veteri prohibitæ, sed jure novo restitutæ, §. fin. Inst. de legat. l. unic. C. de his, quæ pœna nom. Lauterb. in ff. h. t. §. 2. Item subdividitur in legalem, quæ est pœna civilis, imposita per leges pro reparatione damni illati vel propter contumaciam aut contemptum, & in judicalem, quæ à Judice ad æstimationem damni illati imponitur.

3. Pœna criminalis, quæ, ut dictum est, tendit ad vindictam publicam, respicit interesse publicum, quàmque exigit vigor disciplinæ publicæ, l. 9. §. 1. ff. de Publican. qualis est non tantum relegationis, fustigationis, carceris, sed etiam quæ fisco applicatur. Carpz. pr. crim. q. 102. n. 29. & 30. Variè quoque subdividitur, ac primò quidem in capitalem & non capitalem; capitalis est, quæ admittit vitam hominis vel naturalis vel civilis. Capitales vitam naturalem adimentes dicuntur ultimum supplicium, pœna mortis, sanguinis, & apud Hebræos erant quatuor, nimirum ignis. Levit. 20. v. 15. lapidatio, Num. 15. v. 36. Gladius, Deuter. 13. v. 15. suspendium è ligno. Deuter. 21. v. 22. seu strangulatio, quam quidam accipiunt pro Crucifixione, utpote in omni antiquitate pœna celeberrima & gravissima, fervorumque propria, quæ damnatus post flagellationem crucisque exportationem, nudè extensis brachiis ad superiores ejus antennas manibus dextraque prius, pedibus vero ad stipitem duobus clavis ferreis affigebatur, atque stillante sanguine & fame enecabatur. Liplius tract. de cruce l. 3. c. 2. cui Constantinus M. in venerationem Passionis Dominicæ inter Christianos substituit furcam. Lips. l. c. c. 14. Gothofridus ad l. 28. ff. h. t. Lit. G. jure verò civili nostro sunt gladius vel ferrum, id est, decollatio, l. 8. §. 1. ff. h. t. damnatio in furcam seu suspendium, l. 28. ff. h. t. vivi concrematio cit. l. 28. objectio bestiis, l. 11. §. fin. ff. h. t. à qua differt condemnatio ad bestias, l. 25. §. 3. ff. h. t. Carpz. pr. crim. q. 128. n. 26. submersio in aquis, l. 9. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid. & c. Pœnæ capitales non adimentes vitam naturalem, sed solum civilem sunt ademptio libertatis, nimirum damnatione ad metallum, & ad opus metalli, quæ differunt, l. 8. §. 6. l. 17. ff. h. t. quæ, si sit in perpetuum, simul tollitur cum libertate civitas, ita ut eà damnati statim servi efficiantur, cit. l. 17. §. 1. cujus loco hodie successit damnatio ad triremes, Carpz. l. c. q. 129. n. 8. quibus æquiparantur exilium perpetuum, ban-